



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXI. Vtrùm SS. Patres & veteres Doctores hoc Confessionis secretum
etiam docuerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

erddotes. De Pœnitentia, Dist. 6. vbi dicitur: quòd nullo vnquam tempore, aut casu licitū est Confessionem detegere, etiam pro vitādo scandalo. Qui autem non potest id, quod minus est, nec poterit id, quod maius est, iuxta regulam iuris. Si vinco vincentem te, à fortiori, vincam te.

Nunquid Sancti Patres, & veteres Doctores, hoc Confessionis Secretum etiam docuerunt?

Questio XXI.

MAximè: Et ne cuiquam ea de re dubium ullum esse possit, testimonia quædam eorum proferemus.

Responsio.

De S. Ambrosio Paulinus eius discipulus ita scribit: Erat gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus. Siquidē quotiescunq; illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret: Videbatur enim sibi cum iacente, iacere. Causas autem criminū, quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur; bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, vt intercessores apud DEVM sint magis, quàm accusatores apud homines.

Pauli. Nolæ Episc. in vita D. Ambrosij.

Augustinus eodem sensu, quia & eodem spiritu ita scribit: Si transgredimur in aliquo peccato post Baptismum, id est, fontem lachrymarum.

Aug. ad Iulianū. Comit. Epist. 111.

chryma-

Caput VII. De Secreto seu Sigillo

chrymarum, ordinauit nobis poenitentiam propter fragilitatē nostram; ideo debemus nostras Confessiones veraciter confiteri, & fructus dignos facere, id est, præterita ne iteremus, secundū iussione D E V M timentis Sacerdotis; qui Sacerdos, vt sapiens, & medicus, primū sciat curare peccata sua, & postea aliena vulnera detergere, & sanare, & non publicare. Nos sequamur, perquiramus, et cum talibus consiliū salutis nostrę ineamus, vt non perdamus hæreditatem cœlestē, quam nobis Dominus ab initio mundi præparauit.

Sozom. lib. 9. hist. tripart. ca. 35. Item Sozomenus, dum scribit de Presbytero super poenitentes ad audiendas Confessiones, & imponendas poenitentias, præposito, ait. Ad hanc rem Presbyterū bonæ cōuersationis, seruantemq; Secretum, ac sapientem virū statuerunt. Vnde, & ex plurimis aliis testimoniis, quæ breuitatis studio non commemoro, liquidò cōstat, non nuper natam, sed antiquissimam esse hanc Ecclesiasticam consuetudinem, tegendi ea, quæ in Confessione dicta sunt.

Questio
XXII.

Quidnam & quantum potest Sacerdos propria authoritate ex Confessione reuelare?

Responso. PRIMVM, licitum est, iustam ob causam in publico, vel aliàs, reuelare Confessionē, id est,